Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2561
Quelle:
Copyright:

prouinciali concilio Salczburge An. Domini M° CCC° LXXXVI°. Extant post alios Synodographos apud *Harzb.* T. IV. p. 530. et recensentur ex *Cod.* nostro ab *Hansiz. supracit.* p. 462. *Hundius* tamen et *Metzgeri* de hac Synodo silent.

XIX. *fol.* 223. p. 2. Libellus supplex nomine *Udalrici* III. Episcopi *Pataviensis* datus Pontifici, ut inhibeat FF. Minoribus de observantia, ne in Oppido *S. Hippolyti* Coenobium aedificent contra voluntatem Praepositi et Conventus Can. Reg. S. *Augustini* in eodem Oppido siti. Incipit: *Beatissime Pater. Creuit adeo temeritas et insolentia quorundam fratrum minorum de obseruantia nuncupatorum in partibus Alamanie et presertim in dyocesi patauien, ut ne dum loca dicti ordinis prope parrochiales ecclesias de nouo erigere sed totum fere populum ad eorum ecclesias trahere* &c. Subscriptio: *Fiat ut petitur de futuro Et committatur Preposito S. dorothee Wyennen. Datum Senis XI. Kls. Martij Anno Secundo.* Ejusmodi querelas etiam in reliqua *Austria* et *Stiria* circa annum 1456. exortas invenio apud *Hansizium cit.* p. 495. Pontificem itaque, ad quem praesens libellus directus fuit, *Callistum* III. putem.

XX. *fol.* 224. p. 2. *Formulae* Literarum Pragmaticarum in negotiis ecclesiasticis seu consistorialibus, ad Dioecesin *Salisburgensem* adcommodatae. Exempli caussa: *Ab Archiepiscopo ad archidiaconum pro decima papali extorquenda. Executio Archidiaconi. Super procuracione imponenda plebanis. Executio commissionis. Modus citandi Monachos mendicantes ex commissione* &c. In *Stiria* superiore conceptas fuisse docent locorum nomina: *Judenburg*, *Leuben. Gessa* &c.

In hoc *Codice* contenta obiter jam enumeravit *Lambecius* L. II. p. 802. *edit. Kollar. col.* 630. quae, qui *Synodicon Salisburgense* molietur, ob lectionis varietatem non inutiliter consulet.

DCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 643
XV. Folior. 334. 4. diversis manibus exaratus et olim *Monasterii montis sancti Johannis baptiste in Rinkau*, sive Rhingovia quondam O. S. B. continet Sequentia: I. *Incipit Stella clericorum.* Saepius memorata, ut docet *Index*, verum hoc loco *Prologo* instructa, qui quidem inchoat: *Architector philosophie* (Aristoteles) *in libro de celo et mundo describens proprietates celi* &c. in meris tamen Allegoriis insumitur, deque Autore Opusculi nihil docet, nisi *Theologum* fuisse. Opusculum excipit *fol.* 17. *Commentarius*, cujus initium: *Quasi stella matutina in me. Libellus iste qui intitulatur stella clericorum principali sui divisione diuiditur in duas partes* &c. Commentatorem eundem cum Autore *Prologi* habeo.

II. *fol.* 49. *Incipit tractatus magistri hinrici de hassia doctoris eximij studij wyen. fundatoris qui*